25

UNITARIORUM IN ANGLIA

FIDEI, HISTORIÆ,

STATUS PRÆSENTIS

BREVIS EXPOSITIO.

Magni et venerabiles viri, qui Reformationi facem prætulere, hæc duo principia in lucem expromere et sancire præcipuè conati sunt: sacras nimirùm Scripturas solam esse regulam fidei, normamque agendi; et cuique hominum jus esse sanctissimum, atque immutabile, de his pro seipso judicium instituendi. Ab his duobus principiis progressi, corruptiones erroresque quamplurimos, quibus Christianismi simplicitas et pulchritudo jamdiu deformatæ erant, radicitùs evulserunt. His viris sibi pro exemplo propositis, horum vestigiis insistens, nec tamen tam religiosè adhærescens, ut non sibi quoque ulteriùs progredi fas esse putet, sicubi illi aut nimiæ mutationis metû, aut falsâ pietatis persuasione, aut denique humanæ naturæ imbecillitate, non uno conatû ab imis ad summa pervenientis, cursû nondum confecto destitisse videantur, Societas de quâ nunc agitur fidem suam cultumque suum sibi formavit.

Rationis, in verbo Dei interpretando, munus legitimum Unitarii præcipuè vindicaverunt; sed non, quod sæpiùs inconsideratè objectum est, rationem revelationi præponunt; cum enim utraque a Deo data sit, veram inter eas dissentionem oriri posse negant; etiamsi illa non semper quæ hæc doceat perfectè capere possit. Rationis esse credunt, de testimoniis revelationis judicium instituere; spurias inter genuinasque sacrarum literarum partes distinguere; denique de genuinarum sensu sententiam ferre. Quodcunque a Deo revelatum esse intellexerint, id summâ reverentiâ accipiunt; neque præter officia pietatis, caritatisque, quidquam profectò sanctius habent, quum sententias quas ex Scripturis diligenter et sine cupiditate exploratis hauserint, apertè quidem et constanter, modestè tamen defendere.

Fidei Unitariorum, quatenus ad Numen pertinet, hæc summa esse

videtur, "Unus est Deus, et Deus est Caritas." Ut nomen eorum indicat, veram, integram et propriam Dei Unitatem asserunt; Illum, unam essentiam, unam personam, unam substantiam, ut dicunt, esse judicant. Is est enim naturæ partium inter se consensus, qui rerum universitatis Auctorem, unum, "magnum consilio et multum opere," esse demonstret. Revelatione divinâ sancitur hæc sententia, immò non modò Scripturis, tam Hebraicis quàm Christianis, apertè confirmatur, sed tanquam gravissima et puræ religionis fons atque origo, iterum iterumque inculcatur. Uno consensu Moses et Christus declarant, "Primum omnium mandatorum est, Audi, Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est, et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et ex totâ animâ, et ex totâ mente, et ex totis viribus tuis. Hoc est primum præceptum."

Huic sententiæ fideles, omnem notionem pluralitatis in Numine divino, quippe verbo Dei repugnantem, improbant Unitarii. In sacris Scripturis, nec verbum *Trinitas*, nec dogmatis ipsius ullam indicationem, inveniunt. Contrà, "Patrem majorem filio esse," et Spiritum Sanctum, non personam per se existentem, sed potestatem a Deo exercitam, vel donum ab eo præbitum, esse colligunt.

Omnem perfectionem Deo attribuentes, omnis excellentiæ et benevolentiæ possessorem, Ipsum, sine ullo socio, adorant; et quamvis sacros scriptores de causâ mali tanquam de malo quodam Genio sive Dæmone aliquando locutos esse constet, malignum tamen spiritum, tantâ potestate ut de imperio cum Deo certet, et ejus consilia frustretur, aliquam mundi partem sibi subjecisse, credere nolunt. Præterea, "misericordiam ejus esse super omnia opera ipsius" dicitur: quod cum sententiâ eorum qui credunt Deum magnæ humani generis parti pravitatem, æternamque miseriam, irrevocabili suo decreto prædestinasse, prorsus pugnare videtur.

Quum "peccatum sit iniquitas," et justitia sit æquitas; cum "omnem hominem qui exerceat justitiam justum esse," "animam quæ peccaverit ipsam moriendam esse," et "unumquemque propriam sarcinam bajulare," juris præcepta sint; imputationem peccati justis, aut justitiæ injustis, nec cum lege naturæ nec cum legibus civilibus, nec cum literis sacris conciliari posse, credunt Unitarii.

Appellationem *Patris*, non tanquam metaphysicam distinctionem, et quasi distributionem, inter Illum et alias quasdam personas, sed alio et nobiliori sensu sumendam esse judicant, nempe, ut relationem inter Illum et prolem ejus "manuum ejus opus," benevolentiamque suam in genus humanum luculenter indicet, simulque, unicum Deum solum hominum adoratione dignum designet. Christus vero Dominus noster Deo hanc appellationem tribuit, pro divinæ naturæ illustratione, et

discipulorum suorum ob instantem suam ab illis separationem consolatione. Ipsum æquè ac discipulos suos Dei filios esse, verba ejus demonstrant.

Unitarii insuper credunt, " Jesum Nazarenum esse Christum," " Dei viventis filium ;" " per omnia fratribus" generis humani " similem illum factum esse ;" sed propter vitam ab omni *labe* immunem, benevolentiam eximiam, munerum quæ sustinuit gravitatem, dolorum quos perpessus est acerbitatem, denique propter nomen splendidum quod Deus illi dedit, summâ reverentiâ et honore dignissimum esse.

In Scripturis sacris Christus verò a Deo (ut credunt Unitarii) manifestè distinguitur; quoniam Deus est Pater qui mittit, dat, ungit, sanctificat, remunerat ; Christus autem est Filius qui mittitur, accipit, ungitur, sanctificatur, remuneratur. Unum esse illum cum Deo, ob mutuum voluntatis et consiliorum consensum, nihilominùs æstimant ; haud secus ac nobis etiam unum esse cum illo et cum Deo patre suo esse convenit.

Ut iniquitas mundi persecutionum et mortis Servatoris causa erat, ita ejus afflictiones (quippe quæ veritates quas docuit confirmarent, exemplum ejus perfectum redderent, divulgationem evangelii per totum orbem pararent, et resurrectionem ejus e mortuis, pignus simul et exemplar nostræ resurrectionis facerent) magnum sunt incitamentum ad scelus vitandum, et ad justitiam colendam. Hoc sensu opinantur Unitarii hæc Scripturæ verba accipienda esse ; " Mortuus est pro peccatis nostris," et " Sanguis ejus emundat nos ab omni peccato."

Persuasum habent Unitarii, ad salutem non esse necessarium, obscuris et mysticis symbolis fidem habere. Paulus declarat, " Si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, et credideris in corde tuo quod Deus illum excitavit a mortuis, salvus eris."

Spem etiam habent, modestam quidem sed constantem, verbo Dei perspicuè ostensam, Illum, quâ est misericordiâ, obedientiam sinceram accepturum esse, et defectus omnes verè pœnitentibus condonaturum.

Præterea, opinantur Unitarii, supplicia pro peccatorum magnitudine improbis distribui : " Cuicunque multum datum est, ab eo multum requiri ;" paucis vel multis plagis, secundum culpæ mensuram, in omnes animadverti. Cum enim Legislatoris sapientis sit pœnas non tam ultionis quàm correctionis causâ statuere, et non modò reipublicæ saluti, sed etiam reorum emendationi studere, Unitariis plerisque persuasum est, imperium suum eodem modo administraturum esse Deum, " qui non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere."

Cultus Unitariorum simplicitate se præcipue commendat; ritûs quidem et ceremoniarum differentiam in ecclesiis suis æquo animo ferunt; quam sibi libertatem in rebus divinis vindicavêre, eandem omnibus concedunt, præceptorum haud immemores, "infirmum in fide assumendum, non ad disjudicationes in disceptationibus cogitationum;"—"unumquemque in propriâ mente certum esse" oportere. Caritatem igitur potius quam fidem pro vinculo concordiæ habent;—cum gratulatione, et sicut fratrem, accipiunt quemvis bonum, qui cum ipsis conjunctim cupiat profiteri: "Nobis unus est Deus, Pater; ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per illum."

Unitariorum in Anglia Historiam haud facile est ab initio investigare. Constat tamen mentem humanam, ex somno, quo per tenebras tot seculorum sepulta fuerat, subitò experrectam, studia sua huic veritati citò intendisse. Sub medium seculi decimi quinti, Reginaldus Peacock, Episcopus primùm Asaphensis deinde Cicestrensis, qui morum et fidei reformationis hortator exstitit, argumenta videtur occupavisse, quæ a seculorum posteriorum criticis proponuntur, non modò contra Christi Deitatem, sed contra narrationem de miraculo ortûs ejus, quæ in primis capitibus Evangelii secundum Matthæum continetur. Dignitate episcopali depulsus est, et (ut famâ traditur) ejus constantia non valuit, quo minùs malis obrueretur quibus propter honestatem objiciebatur.

Decimi sexti seculi sub principium, Henrici Octavi impura et illicita libido ecclesiam Anglicanam a Romanâ disjunxit. Hæc separatio, ut quæ minùs investigatione et magìs vi imperiosâ effecta est in Angliâ, quàm in ullâ aliâ regione reformatam religionem profitente, minùs perfecta et absoluta est. Ecclesiæ novum caput constitutus est Henricus; nova fidei symbola imposita sunt; haud pauci tamen erant, quibus et animus erat constantior quam ut opiniones ad nutum tyranni modo sumerent modo deponerent, et altior sacrarum literarum et historiæ ecclesiasticæ scientia quam ut hujus placita amplecterentur. Dum Hierarchia, Henrico Octavo, Edvardo Sexto, et Elisabethâ regnantibus, vires suas consolidabat, multi a dogmate Trinitatis aversi immolabantur; et nostris annalibus traduntur multorum nomina, qui, non nisi Deum Patrem colere volentes, ultimas pœnas flammis solverunt. Insigne est fatum Joannæ Bocher; cujus mortis decretum, ab Archiepiscopo Cranmer, qui et ipse, propter studium quo Reformationem foverat, imperante Mariâ crudelitatem Papistarum expertus est, ex amabili juvene Edvardo Sexto extortum est, qui oculos lacrymis suffusus archiepiscopo dixit: "In hac re me totum ad tuum judicium accommodo; tuum est hujus facti rationem Deo red-

dere." Femina hæc excellentissima dogma simplicis Unitatis Dei amplexa erat, Scripturas, tum nuper Anglicè redditas, legendo. Doctrina hæc nova ita celeriter disseminabatur, ut persecutiones multæ et diuturnæ ad eam supprimendam instituerentur. Ab A. D. 1566 usque ad A. D. 1688, importare libros Socinianos interdictum fuit: et Bartholomæus Legate, qui tempore Jacobi Primi (A. D. 1611) morte afficiebatur, adversarii implacabilis testimonium habet de vitæ et morum integritate. Hujus et aliorum pietas et fortitudo in extremis, ita animos spectatorum penetraverunt, ut tandem etiam prudentiæ esse videretur alio modo in assertores Unitatis Dei grassari, ut carceribus secretis inclusi silentio perirent. Sed eorum quamvis virtutum et injuriarum nulla humana historia maneat, est tamen digitus, qui eorum memoriam literis immortalibus consecravit, et nomina in libro vitæ clarissimè depinxit.

Dissentientium ab ecclesiâ Anglicanâ brevis triumphus post Caroli Primi mortem, plerumque libertati religionis fuit propitius; sed Unitariis eâ potiri non permissum est. Joannes Biddle, vir propter virtutes omni imitatione dignissimus, qui parvum cœtum Christianorum Unitariorum in domum suam congregaverat, in magnum discrimen vitæ, ex odio Presbyterianorum Theologorum, venit, et (post solium avitum a Carolo Secundo recuperatum) in carcere periit.

Insignis rerum publicarum conversio (Revolutionem dicunt,) quâ Gulielmus Tertius ad regiam dignitatem in Angliâ evectus est, fundamenta religionis Protestantis confirmavit, Senatusque Tolerationem, quæ istis temporibus liberalis esse judicabatur, omnibus *Dissentientibus* concessit, Unitariis tamen nominatim exclusis. Paucis post annis, etiam acerbiùs tractabantur: Lex enim, A. D. 1813 demum abrogata, pœnas mulctæ, vinculorum, et proscriptionis omnibus irrogavit qui Trinitatis quamlibet Personam Deum esse negavissent.

Circa decimi septimi seculi finem, inter Dei Patris unicæ divinitatis assertores, duo nomina imprimis enitent. Primum est Joannis Locke, tolerantiæ et libertatis civilis strenui defensoris, qui feliciter laboravit non modò in mentis humanæ naturâ et operationibus exponendis, sed etiam ratione ad suum munus legitimum, in verbi Dei interpretatione, revocandâ. Libri ejus "*The Reasonableness of Christianity*" et "*Notes on St. Paul's Epistles*" ad Scripturæ sacræ accuratiorem expositionem multum contulerunt. Alterum est Thomæ Firmin, civis Londinensis opulenti, inopum benefactoris munificentissimi, ut quidem nonnullæ institutiones adhuc florentes, ejus patrocinio multùm adjutæ, testantur. De Dei Unitate, etiam illis temporibus, vehementer disceptabatur; et hic vir egregius opem suam tulit, ad impressionem et distributionem multarum expositionum et defensionum

eruditarum, quæ in Tractatuum Unitariorum collectione, hodie quoque, post tot recentiorum labores merito honore habitâ, leguntur. Thomas Firmin, et Unitariorum tunc temporis plurimi, intra septa Ecclesiæ Anglicanæ manserunt; quo facto, quanquam non nostrum est viros optimos in judicium vocare, magnopere tamen dolemus testimonii eorum pro Unitate Divinâ pondus valde diminutum esse.

Ab initio usque ad finem seculi decimi septimi, in Ecclesiâ Anglicanâ theologorum magna cohors extitit, qui spem fovebant reformationem in fidei publicæ symbolis perficere haud difficile fore. Etsi ab Ecclesiâ non secesserunt, symbola tamen publica, quibus pro more, in munere capessendo, subscribendum fuit, cum repetitâ subscriptione comprobare nollent, viam sibi ad honorum amplificationem præcluserunt. Et hi quidem ferè persuasione suâ sine molestiis fruebantur. Sub initium verò seculi decimi octavi (A. 1710) Gulielmus Whiston, vir ob summam eruditionem, pietatem, et integritatem insignis, propter doctrinæ Dei Unitatis vindicationem, munere Professoris Mathematices in Universitate Cantabrigiensi privatus, e Collegio expulsus est.

Samuelis Clarke, D.D., liber eruditus de Trinitate multorum oculos et mentes in se convertit, et plurimorum Ecclesiam Anglicanam sequentium animos ad formularum ejus recensionem paravit. Liturgiam castigavit, omnia rejiciendo, quæ cujusquam præter Patrem adorationem præ se ferrent. Ex eo tempore, quædam Unitariorum Societates tam in Angliâ quam in Americâ septentrionali, Liturgiâ sic ab illo emendatâ (levioribus tamen quibusdam pro arbitrio mutatis) usi sunt.

In numero Unitariorum illo tempore florentium, nullo modo omittendus est philosophus clarissimus Isaacus Newton. Sincerus et humilis erat Christianus, Scripturæ sacræ studiosissimus; Dei Unitatem constanter professus est, et utilissimâ Dissertatione de clausulâ istâ adulterinâ quæ in 1 Epist. Joh. v. 7. continetur, defendit.

A.D. 1771 Societas maximam partem ex clero Anglicano constituta est, quæ Senatum plus semel precibus adiit, ut Librorum Ecclesiæ symbolicorum subscriptione sublatâ aliam sibi in ejus locum substituere liceret, quâ nihil aliud testarentur nisi se sacris Scripturis fidem adjungere. Hâc spe dejecti, ex illo tempore plurimi Unitarii de Ecclesiâ et Universitatibus* Anglicis secesserunt. Inter hos,

* Quod ad *Universitates* Anglicas spectat, vix expectandum est, inter homines, Trinitariis Subscriptionibus præoccupatos, et muneribus scholasticis aut beneficiis ecclesiasticis jam captos, multos fore, qui disquisitionibus Unitariis impediri velint. Et tamen apud Cantabrigienses fuerunt qui his studiis se exercerent. Ex hoc numero claruerunt, viri ob doctrinam et morum integritatem semper co-

præ ceteris se memorabiles reddiderunt Wakefield, Jebb, Evanson et Disney, quorum primus saltem, eruditione et ingenii dotibus, per Europam notus est.

Præcipuè verò animos hominum advertit Theophili Lindsey secessio. Veritatis amore, amplissimos honores quos in spe habebat sprevit, angustiis sese, et si res ita tulisset etiam inopiæ, objecturus. Paulo postquam se muneribus suis ecclesiasticis abdicaverat, capella ad Deum colendum in *Essex Street* Londini ædificata est; et Liturgia, a Lindseio post Clarkium emendata, ad cultum divinum quem instituit adhibita. Hoc templum primum (ut creditur) in Angliâ ad adorationem solius Dei Patris definitè et ex ortu ipso destinatum est. Viri facultatibus, muneribus, loco, famâ eloquentiæ aut in senatû aut in foro insignes, hoc templum, et ab initio frequentavêre, et hodie quoque frequentant. Nunc temporis eorum pastor est V. Rev. Thomas Belsham, olim in academiâ quâdam *Dissentientium*, Calvini dogmata sequentium, Theologiæ Professor; quem scripta quibus aut veritatem Christianæ Religionis fidemque Unitariorum defendit, aut superbiam cæco impetû in fratres invehentium retudit, aut mortuis debitam laudem detrahere cupientium conatus compressit, eruditum, perspicacem, urbanum esse testantur; vitæ verò integritas, comitas morum, benevolentia animi bonis omnibus commendant.

Hactenus quidem de fidei Unitariorum in Ecclesiâ Anglicanâ progressû. Inter *Dissentientes* verò ab Ecclesiâ, qui in tres sectas divisi, *Presbyteriani, Independentes*, et *Baptistæ* appellantur, quo minus mag-

lendi, Robertus Tyrwhitt, A. M. et Joannes Jebb, M. D. quorum ille Unitatem Dei in templo Universitatis S. Mariæ publicè defendit, in scholis publicis etiam, si modò licuisset, defendere paratus; primusque omnium (A. 1771) Rogationem legis academicæ (Gratiam vocant) proposuit, magnâ doctissimorum Academicorum catervâ favente, ut ne honores Academicos petentibus Subscriptionis necessitas injungeretur. Hic (sc. J. Jebb) socius conjunctissimus R. Tyrwhitti, muneribus et beneficiis ecclesiasticis se honestè abdicavit, Prælectiones publicas in Græcum Fœdus apud Cantabrigienses dedit, tandemque disputationibus malè comprehensis, defatigatus, Londinum profectus, Medicinam ibi professus est. Hisce amicitiâ et studiis conjunctissimus fuerat Edmundus Law, Episcopus Carleolensis, et Domûs S. Petri Cantab. Magister. Quippe disquisitionibus metaphysicis valde deditus, et aliis quasi facem præbens, Anglicis illorum temporum Unitariis præiverat, ipse quidem primò, qui vocatur, Arianus, ante mortem verò pro certo, sensû strictiori Unitarius.

Ex iis temporibus, nempe circa A. 1787, 1788, 1789, multi apud Cantabrigienses extiterunt, qui in iisdem passibus incederent. Inter hos numerandi sunt Gul. Frend, A M. Tutor et Socius Coll. Jes.; Joannes Hammond, A. M. Coll. Regin. Socius; Robertus Edwardus Garnham, A. M. Coll. Trin. Socius; Georgius Dyer, A. B. Coll. Emman., cum multis aliis.—Hi vel scriptis suis, aut honestis testimoniis, Unitarium Dogma defendebant, vel omnes omnino subscriptiones oppugnabant, et ab Ecclesiâ, Beneficiisque Ecclesiasticis et Collegiis, prorsus se separabant, vel Statutis Collegiorum suorum peculiaribus, ut dicunt, faventibus, studia sua ibi prosequi malebant.

nus ejus sub initium seculi decimi octavi esset progressus, impediebat pertinacia quâ omnes fermè opiniones tenent, quas, non quasi hereditario jure possident, sed post studium et laborem sumsere, præsertim si sibi propterea a civilibus officiis interdictum esse sentiant. Qui primi a cultu Ecclesiæ Anglicanæ dissentiebant penè omnes Trinitarii erant; immò ex bis mille pastoribus, qui sub regno Caroli Secundi per legem de uniformitate fidei (*The Act of Uniformity*) beneficiis suis simul ejeiti sunt, solum Gulielmum Manning a doctrinâ Trinitatis aversum esse constat. Persecutio quam amicus ejus Thomas Emlyn, pastor Dublinensis, propter hæreticas super hoc dogmate opiniones, a collegis suis perpessus est, et libelli quibus causam suam defendit multorum animos ad doctrinam de Uno Vero Deo convertere.

Veritatis investigandæ libertas, inter *dissentientes* ab Ecclesiâ a Presbyterianis initium duxit; qui et Theologis utebantur multò doctioribus, et liberiore ecclesiarum regimine, quam Independentes aut Baptistæ. Synodi quidem ecclesiasticæ inter Presbyterianos Anglicos nunquam multùm proficere poterant, et jamdudum prorsus in desuetudinem abiêre. Hanc novam doctrinam inter illos disseminari non ante suspectum fuit, quam anno 1718, V. Rev. Jacobus Peirce, pastor Exoniensis (qui Commentarium in Pauli Epistolas a Joanne Locke inceptum doctissimè auxit), intolerantiâ aliquorum suorum e Presbyterio occidentali sociorum, dissensum suum a doctrinâ Trinitatis vulgò publicè receptâ excitatus est declarare. Exemplum ejus plurimi imitabantur; et ad discordiam evitandam, pastorum *dissentientium* Londinensium concilium habebatur, ubi plus centum aderant. Ibi conatus subscriptionem doctrinæ Trinitatis (ut in primo et secundo Ecclesiæ Anglicanæ Articulorum capitibus exprimitur) imponentium, a majore parte rejectus est. Hâc controversiâ opiniones Piercii, qui Arianis favebat, adeo non deletæ sunt ut multò latius disseminarentur; quinetiam, quod fieri solet ut aliud ex alio clarescat, pars longe maxima Presbyterianorum in comitatibus Angliæ occidentalibus, ne in Arianismo quidem domicilium fidei suæ collocavêre, sed planè in partes Unitariorum transiêre. Hujus doctrinæ universa inter Presbyterianos diffusio, scriptis V. Rev. Nath. Lardner, D. D. magnoperè adjuta est; qui libro de fide rerum quæ in evangeliis continentur ("*Credibility of the Gospel History*") eruditionis, industriæ et candoris sui monumentum perenne reliquit; Literis vero de *Logo*, et concionibus in cap. ii. ver. 6. Epist. ad Philippenses, tam valentem se contra corruptores, quàm contra oppugnatores Christianismi se monstravit. Omnes ferè Presbyteriani, ab Ecclesiâ Anglicanâ dissentientes, fidem Unitariorum nunc profitentur,

si saltem verba tali sensû accipiamus, ut omnes, qui solam Patris Deitatem asserant, comprehendant.

Baptistæ Anglicani fermè ab initio in *Particulares* et *Generales* divisi sunt; quorum illi Calvini, hi Arminii, sententias secuti sunt. Baptistis *generalibus* Trinitatis doctrinam, Orthodoxiæ commune signum, rejicientibus, controversiæ graves secutæ sunt, unde nova secessio orta est. Major pars nunc fidem Unitariorum profitetur. Orti etiam sunt nuperrimè apud *particulares*, qui se *Unionistas* vocant, sensu Sabelliano Unitarii. Robertus Robinson, Baptistarum decus illustrissimum, qui ad finem vitæ Unitarius evasit, antea defensionem Christi Deitatis scripserat, quæ etiamnum inter validissimas illius doctrinæ defensiones numeratur. Erat huic viro propria quædam facundia; non limata illa quidem, aut quæ vacuas eruditorum aures delectaret; sed sententiis affectibusque referta, sed voce, vultû, gestû condita, sed ad animos audientium libertatis quo ipse flagrabat amore inflammandos aptissima.

Independentes inierunt consilia, ad progressum in religionis scientiâ impediendum, multò prudentiora. Rostra et societates suas, in omne hæreseôs genus, symbolorum impositione et censurarum fulminationibus semper providi muniverunt: mysteriis Trinitatis etiam infantes imbuuntur. Eorum communitas igitur ferè in eodem statu semper mansit; controversiis tamen continuis, modis loquendi uti didicêre, qui non tam apertè cum verbis S. Scripturæ pugnarent. Subinde quoque ministri eorum sociique eruditissimi, fidem vulgatam cum Unitariâ mutaverunt. Hoc modo Isaacus Watts, poeta et theologus insignis, (cujus cantica ad hunc diem inter ipsos Independentes, et plurimos alios Christianorum cœtus in re sacrâ adhibentur,) in senectute de sententiis suis prioribus multùm deflexit.

Inter hos quoque natus et ad sacrum munus obeundum institutus est, Philosophus in paucis et sui et omnium sæculorum clarus, Josephus Priestley, LL.D. qui postquam cognito opinionum quibus imbutus erat errore, ad Unitarios transiit eo vim omnem animi intendit, ut eodem errore lapsos ad meliora revocaret; neque cujusquam beneficio magis factum est, ut novâ luce perfusa, doctrina de Uno Vero Deo, nostris temporibus indies latius diffundatur. Erant enim in Priestleio multa, quibus eximiè ad reformatoris munus exsequendum instrueretur et ornaretur; versatile ingenium, quodque ad omnia pariter comparatum videretur, indefessus labor, animus periculis interritus, veri inveniendi studium ardentissimum, inventum ratione et viâ exponendi admirabilis scientia. Magnum virum etiam adversarii fatebantur; optimum, qui benevolentiam et candorem animi cognovissent, et quæ in eo summa erat, pietatem, quâ omnia Deo ac-

cepta retulit, et Providentiam ejus non in prosperis rebus modo sed in iis quoque agnovit quæ secus accidissent. Cæterum, quamvis in Philosophiâ physicâ perficiendâ tanto cum fructû laborasset, quanto vix quisquam æqualium, non tamen gloriolâ illâ a majoribus se abduci passus est; id scilicet antiquissimum ratus, veritatem Christianæ religionis, sæculi sui errore, vetusta omnia pro falsis habentis, in dubium revocatæ defendere; et quo melius defenderet literarum sacrarum atque antiquitatis Christianæ scientiâ, quâ maxime pollebat, in pristinam integritatem restituere. Dolendum est talem virum patriam quam ingenii et repertorum suorum famâ ornaverat ingratam expertum esse. Commutatâ reipublicæ in Galliâ ratione, Priestleius immeritò in crimen venit, res novas in Angliâ moliri; quo rumore, ex occulto sparso, populi rabies in eum excitata est; et magistratû, cujus erat plebem refrænare, aut favente aut certe connivente, fit impetus in domum; effringuntur fores; bibliotheca, instrumenta philosophica, commentarii incendio hauriuntur; ipse vix salvus evadit. Cum intellexisset frustra se leges invocare quarum auxilium nullum esset, statuit Americam voluntario exilio petere A. D. 1794, ubi paucis post annis mortuus est, eâ spe plenus quâ Christianum mori decet, patriæ injurias condonans. Perpauci vero sunt, ut speramus, Anglorum, quos insaniæ istius brevis memoria non rubore nunc suffundat; nepotum certè, si quid jam inde augurari liceat, vix quisquam invenietur, qui, re auditâ, non sublatis oculis indignum esse facinus sit clamaturus.

Breve tempus ante exilium suum, operam dedit Priestleius ad Societatem Londini contrahendam, quæ appellatur "*The Unitarian Society, for promoting Christian Knowledge and the Practice of Virtue by the Distribution of Books.*" Duplex fuit hujus Societatis consilium. Primò, ut omnibus, qui credunt "Unum Deum esse, unum etiam Mediatorem inter Deum et homines, Christum Jesum," concordiæ vinculum suppeditaret eosque ad sociandas vires invitaret. Secundò, ut libros ad rectas de doctrinâ Christianâ sententias propagandas, et ad virtutem colendam aptissimos, imprimeret et parvo pretio vulgaret. Inter alia hujus Societatis beneficia præcipuè memorandum est, quod sub ejus auspiciis, Novi Testamenti secundum Griesbachii textum versio reformata (A. D. 1808) publici juris facta est, cui adjectæ sunt notæ, multâ doctrinâ scriptæ; præmissus est conspectus totius rei criticæ, quantum in Novo Testamento versatur. Viget nunc Societas sub curâ Thomæ Rees, LL.D. qui Catechismum Racovianum Anglicè nuper vertit, notisque illustravit. Plurimæ ejusdem generis institutiones subinde per provincias ortæ sunt; adeo ut in aliquâ harum omnis ferè Ecclesia Unitariorum includatur. Cum his non rarò conjunguntur societates vocatæ *Christian Tract Societies*, quæ libellos,

magis ad virtutem fovendam quàm ad controversias theologicas movendas destinatos, inter indoctos disseminare sibi proponunt.

Ita factum est, ut controversia de Trinitate jam non modo inter eruditos moveretur, sed ad indoctos quoque descenderet; unde citò visum est pulpitum non minus quàm prelum exercendum esse, et rationem aliquo modo ineundam, quâ malis, quibus tam homines privati quàm societates, propter veterum dogmatum renunciationem, expositi essent, subveniretur. Constituta est igitur (A. D. 1806) Societas quæ appellatur *The Unitarian Fund, for the Promotion of Unitarianism by means of popular Preaching*. Hujus Societatis consilium est: Primò, Societates Unitarias paupertate laborantes ad rem divinam administrandam adjuvare: Secundò, Concionatores, qui evangelium secundum doctrinas Unitarias plebi prædicarent, sustentare: et Tertiò, illis ministris, qui fidem Unitariam palam profitendo se paupertati objecerint, subsidium afferre. Hæc plus quam ulla alia institutio, Unitariorum Anglicorum diligentiam conjunxit et firmavit. Hujus ope Evangelii genuina veritas, ut Unitarii saltem existimant, ubique prædicata est; Missionarii fidi et idonei Angliam Cambriamque perlustraverunt; Scotiam quoque iterum atque iterum viserunt, ubi nonnullæ Societates Unitariæ nunc extant, et impulsum haud levem veritatis progressio accepit. Hujus societatis consilia et acta, ab initio usque ad nuperrimum tempus, V. Rev. Roberto Aspland commissa sunt, qui ecclesiæ, cujus olim pastores erant V. V. Revv. Price et Priestley, ornatissimè præest. Illi successit Rev. Gul. J. Fox, Societatis pastor Unitariæ, ad Deum colendum convenientis in *Parliament Court, Artillery Lane, London.*

Hiberniam quidem, Missionarii Unitariorum nondum peragraverunt. Sunt illic, homines non pauci, qui Presbyteriano regimine utuntur, et Arianam hypothesin profitentur. Esse vero cœtus publicos in Hibernia qui in eo sensû Unitarii sint quo verbum jam a nobis explicatum est, non audivimus. Sunt proculdubiò tam in septentrionali quàm in australi parte Hiberniæ, ut in Angliâ quoque, multi, quibus, etsi privatim Unitariorum dogmatibus favent, religio est se horum ecclesiis adjungere.

In rebus civilibus eadem pene est *hodie* Unitariorum ac cæterorum Dissentientium conditio. Cultum suum exercere licet; muneribus summis omnes pariter exclusi sunt, nisi qui Ecclesiæ Anglicanæ se addixerint. Munus tamen senatorium exercere licet, et lex quæ gravissimas pœnas Unitariis irrogabat, A. D. 1813 sublata est, suadente Gulielmo Smith, Unitario, digno viro, cujus nomen, propter operam quam per 30 annos in defendendâ libertate posuit, etiam apud exte-

ros in honore habeatur. Sed enim fatendum est legem illam jamdudum obsolevisse, neque eâ amplius actum fuisse.—Cum necessitate Libros symbolicos Ecclesiæ Anglicanæ subscribendi, tironibus impositâ, juventuti Unitariorum aditus ad patrias Universitates intercludatur, ipsi Academias suis sumptibus condidere. Quam nunc habent, Eboraci, regit V. Rev. Carolus Wellbeloved; idemque Theologiæ est Professor. Cujus quidem studii ea est ratio; non ut aut ipsius aut aliorum opiniones tanquam certæ et extra dubitationem positæ proferantur; sed ut collectis undique omnibus quæ ad sensum Scripturæ illustrandum faciant, collatisque inter se quæ doctissimi viri ex unaquaque Christianorum sectâ scripserint, integrum de totâ re judicium ingenuis adolescentibus permittatur. Collegæ ejus Gulielmus Turner A. M., Joannes Kenrick A. M., hic linguam Græcam et Latinam, Historiamque tum veterem tum recentiorem docet; ille orbem disciplinarum Mathematicarum, cum Philosophiâ tradit. Sunt ex juventute Unitariâ qui Scotiæ Academias petant; sunt etiam haud pauci prædicatores, qui post absolutum inter alias Dissentientium sectas curriculum academicum, mutatis opinionibus, ad Unitarios transierint.

Singulis mensibus prodeunt fasciculi libellorum, quorum tituli sunt "*The Monthly Repository of Theology and General Literature,*" et "*The Christian Reformer,*" qui eo consilio ab Unitariis eduntur, ut fidem suam contra oppugnatores defendant, eruditionem Theologicam promoveant, omniaque, sive domestica sive peregrina, quæ quidem ad Religionem pertineant, cum lectoribus communicent. Harum posterior parvo pretio venit, et in beneficium pauperiorum præcipuè proposita est.

Plus ducentæ sunt Ecclesiæ Unitariorum in Angliâ, Scotiâ, et Cambriâ. Centum annos abhinc non extitit una; etiam annos post id temporis quinquaginta, perpaucæ erant, quæ illam appellationem in se recipere vellent. Nec tamen quod inter tot tantasque difficultates numerus suus adeo crevit, inde spes sola Unitariorum oritur, diem appropinquare, quo "erit Dominus unus, et erit nomen ei unum super omnem terram."—Alia sunt, nec minus certa, à quibus in eandem spem eriguntur. Laboribus virorum doctorum, qui aut varias sacri codicis lectiones collegerunt, aut criticæ sacræ rationes investigaverunt, eo tandem ventum est, ut de textû Novi Testamenti inter æquos eruditosque judices jam nulla sit fere dissensio. Veritate sensim ac leniter ad animos hominum accedente, falsæ opiniones apud eos quoque indies magis in oblivionem eunt, qui errorem suum disertis verbis fateri nolint. Denique quod gravissimum est, nostris

temporibus mens humana suas vires explicare, sibi novum et emendatum cursum parare, et ad fata sua, tam augusta, explenda, consurgere videatur.

Societas supra memorata (*The Unitarian Fund*) ut apud exteros quoque labores et consilia sua innotescant, brevem hanc Expositionem edidit, quam omnibus commendat qui student ea promovere principia, quæ, ut ipsa judicat, Christianismo, et virtuti felicitatique hominum quam maximè consulant et provideant. Magnâ quidem cum lætitiâ famâ jam accepit Societatem Unitariorum in Madras formatam esse, et aliquos etiam ex Indis ab Idololatriâ ad cultum Unius Veri Dei revocasse. Non cum his modo, sed cum Unitariis quoque Americanis, quorum numerus permagnus est, commercia epistolarum habet. Pergratum ei erit si certior fiat, aut singulos, aut societates, similiter animatos, in quibusvis aliis orbis terrarum partibus existere; et lætè omnem accipiet monitionem, per quam sibi hujus spiritûs diffusionem promovendi amplior detur facultas. Literæ, talem monitionem complectentes, inscribantur "Rev. W. J. Fox, *Dalston, near London*," vel "Rev. R. Aspland, *Hackney, near London*."

Londini, Prid. Kal. Maj. MDCCCXXI.

Typis Ricardi et Arthuri Taylor.

OPINION

DE M. DE LA FAYETTE,

DÉPUTÉ DE LA SARTHE,

SUR LE BUDGET DES DÉPENSES.

SÉANCE DU 4 JUIN 1821.

PARIS.

[illegible]
[illegible]